

Illustrissimo Cardinali Bellarmino.

Mei erga illustrissimam Dominationem vestram obsequii esse judica-
vi praecipue memor vestrae singularis humanitatis et magnarum virtu-
tum quae in vobis tanquam jubar splendidissimum elucent, postquam
ad Galliam perveni salvus et incolumis Deo annuente, vos salutare
et meum quaecunque obsequium offerre, et in omnibus humillime pol-
liceri. Licet magna itinerum intercapedine dividamur, tamen ardenti
quo flagro vestrae illustrissimae Dominationi inserviendi desiderio
vicinus et proximus efficior. Eundem Deum agnoscimus, colimus et
adoramus, cui servire est regnum, et qui suos non tantum amicos, sed
etiam servos transacto hujus aerumnosae vitae cursu coelestis glori-
ae facit participes, et indissolubili amoris et ferventis charita-
tis nexu alligat et connectit. Ideo plenus hac spe audeo vestram Il-
lust/mam Dominationem alloqui pro comperto habens ipsam huic supre-
mae beatitudini bonorum christianorum scopo et fini ultimo toto cor-
de inhiare, quem cum ardentissime appeteret beatus Augustinus dice-
bat: Quis mihi dabit acquiescere in te, quis mihi dabit ut venias
in cor meum, et obliviscar omnia mala mea, et unum, et verum bonum
amplectar te. Sciebat enim nulla alia re nisi hac una humanum appe-
titum cumulate satiari. In hoc laborant multi praelati Galliarum ut
hujus beatitudinis spes quae videtur evanuisse in multis hujus regni
partibus, reviviscat et in dies augeatur. Et cum omnia sedata in hoc
statu et pacata sint, nihilque aliud in votis sit quam ut affinitas
duorum potentium regnum firmetur et omnino stabiliatur, possumus s
sperare ut religio christiana suum decus, honoremque debitum devictis
et prostratis ejus inimicis efficaciter recipiat. Dignabitur vestra
Illustrissima Dominatio suo humillimo clienti ignoscere, eumque qua
solet caeteros benevolentia prosequi: qui vicissim quantum in se e
est, id omne impendet ut vobis obsequatur. Deoque Immortali pro ves-

30 Arch. Vat. tra perpetuae prosperitate et salute, manebitque vestrae illustriss.
Gesuit. Dominationi. / Datum Parisiis 14 Julii / anno 1615.
18 fol.
45. Orig. Addictissimus servus, et humillimus cliens / Vitalis ep. Eph. et Carc. coad.